

113

111

117

107

122

102

162

062

212

012

Ende

Anfang

102

est de lega eam recipiunt; nostros vero aureos et argenteos non cognoscunt nec recipiunt. Est et alia cuprea moneta, quam nominant Fluss, et de hac omnes mercatores et omnes rerum venditores habent sportas grandes plenas ad cambiendum eam pro argentea; nam qui vult emere panem vel caseum aut potum aquae aut aliquid sibi parvum, non necesse est eum (habere) argentum, sed Fluss. Si non habet, dat campsori unum madinum pro Fluss, qui nummos illos cupreos non ad numerum assignat, sed habet libram et petiam plumbi aut ferri, aut lapidem probati ponderis et publici ponit in una parte librae et commensurat ei Fluss. Sic quilibet aureus et argenteus habet pondus suum, ad quod commensuratur moneta illa cuprea. Nummi enim isti cuprei non sunt aequales, sed multum dissimiles in quantitate et superscriptionibus et signis; quando enim aliquis Fluss recipit pro madino, datur sibi quasi bursa plena de Fluss. Verum ipsa argentea pecunia apud eos etiam est falsificata et non omnes madini passim accipiuntur, nec omnes asperi. Sed artem illam habent omnes, quod recipiens argenteum ponit eum in os suum, premitque dentibus mordens et statim percipit, an argentum verum vel falsificatum sit. Omnia ibi mensurantur, panes, fructus, carnes coctae et ipsum brodium et pulmenta ad mensuram dantur, sed et aqua ipsa usualis mensuratur. Utuntur enim multa aqua in domibus, quia diversis et variis baptismatibus utuntur per singulos dies et horas, non autem habent fontes, sed solum aqua Nili utuntur, quae in camelis defertur per vicos in magnis utribus. Unde ultra octo millia camelii nihil aliud faciunt, nisi quod aquas per civitatem in domos deportant, et asini idem facientes, quorum non est numerus.

Sunt etiam multo plures camelii, qui pertinent communitatibus, et camelariis de communi aerario datur pretium, qui ad hoc tantum sunt ordinati, quod in utribus portant aquam de Nilo in vicos, et ibi per singulos vicos diffunditur et spargitur ad pulverem terrae comprimentum. Tanta est enim hominum et bestiarum deambulatio, quod nemo posset ibi vivere in excitato pulvere, nisi aqua inspissaretur continuis profusionibus.

Anno 1476 grassabatur pestis in illa urbe tribus mensibus; dicunt autem, quod singulis diebus ad minus obierunt XVI millia, ad majus XXIV millia hominum, medius numerus inter istos duos

